



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

Sessio VII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

## SESSIO VII.

ANNO  
CHRISTI  
1517.

**I**N nomine Domini. Amen. Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimotertio, indictione prima, die vero Veneris decimasextima mensis Iunii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno primo, fuit celebrata septima sessio Concilii generalis Lateranensis in ecclesia Lateranensi, præfente & præfidente præfato sanctissimo domino nostro papa. Fueruntque præfentes infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi & abbates, oratores principum & illustres domini, ac quamplurimi doctores & nobiles, & primo,

*Episcopi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.  
 Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.  
 Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.  
 Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.  
 Reuerendissimus dominus Franciscus Sabinensis.

*Presbyteri cardinales.*

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigoniensis.  
 Reuerendissimus dominus Franciscus tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Surrentinus.  
 Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Flisco.  
 Reuerendissimus dominus Hadrianus tituli sancti Chrysogoni.  
 Reuerendissimus dominus Robertus tituli S. Anastasiæ, Nannetensis.  
 Reuerendissimus dominus Leonardus tituli sanctæ Susannæ, Agenensis.  
 Reuerendissimus dominus Carolus tituli sanctæ Cæcilie.  
 Reuerendissimus dominus Christophorus sanctæ Praxedis.  
 Reuerendissimus dominus Antonius tituli S. Vitalis, Sipontinus.  
 Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii, Anconitanus.  
 Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti, Bononiensis.  
 Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.

*Diaconi cardinales.*

Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii, Farnesius.  
 Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin, de Aragonia.  
 Reuerendissimus dominus Marcus sanctæ Mariæ in Porticu, de Corneliis.

ANNO  
CHRISTI  
1553.

Reuerendissimus dominus Sigismundus sanctæ Mariæ Nouæ.  
Reuerendissimus dominus Alphonfus sancti Theodori.

*Patriarcha & assistentes papa, & oratores.*

Reuerendus pater dominus Cæsar Alexandrinus.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Consanus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senensis.  
Reuerendus pater dominus Iulius Florentinus.  
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienfis.  
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.  
Reuerendus pater dominus Pompeius Reatinus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciscus Taurinensis.  
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruisinus episcopus & gubernator Urbis.  
Reuerendus pater dominus Siluester Vuigornienfis episcopus, orator regis Angliæ.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Gneznensis archiepiscopus, orator regis Poloniæ.  
Reuerendus pater dominus Hercules episcopus Augustensis, orator Sabaudia.  
Reuerendus pater dominus Bertrandus episcopus Adrienfis & orator ducis Ferrariæ.

*Archiepiscopi.*

Reuerendus pater dominus Iulius Corinthienfis.  
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicostienfis.  
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenfis.  
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.  
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranensis.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Matthæus sanctæ Seuerinæ.  
Reuerendus pater dominus Orlandus Auinionensis.  
Reuerendus pater dominus Rainaldus Ragusinus.  
Reuerendus pater dominus Andreas Monembasiensis.  
Reuerendus pater dominus Petrus Arborensis.  
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.  
Reuerendus pater dominus Gabriel Barenfis.

*Episcopi.*

Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.  
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphensis.  
Reuerendus pater dominus Albertus Valuenfis.  
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Iustinopolitanus.  
Reuerendus pater dominus Rainaldus sancti Angeli de Lombardia.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.  
Reuerendus pater dominus Ioannes Petrus Theatinus.  
Reuerendus pater dominus Franciscus Vicentinus.  
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.

N n ij

Reuerendus pater dominus Hieronymus Buduensis.  
 Reuerendus pater dominus Marinus Cenetensis.  
 Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterrano.  
 Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.  
 Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.  
 Reuerendus pater dominus Andreas Anfanensis.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Sibinicensis.  
 Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomenfis.  
 Reuerendus pater dominus Paris Pifaurienfis.  
 Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.  
 Reuerendus pater dominus Iofue Afculanus.  
 Reuerendus pater dominus Vincentius Ofcenfis.  
 Reuerendus pater dominus Francifcus Spoletanus.  
 Reuerendus pater dominus Andreas Miletensis.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonensis.  
 Reuerendus pater dominus Francifcus Bifignianensis.  
 Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Baptifta Marianensis.  
 Reuerendus pater dominus Bonifacius Iporigienfis.  
 Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.  
 Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinensis.  
 Reuerendus pater dominus Gifbertus Rapollanus.  
 Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinensis.  
 Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.  
 Reuerendus pater dominus Tranquillus \* Firmanus.  
 Reuerendus pater dominus Iacobus Marficanus.  
 Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriaticenfis.  
 Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatefis.  
 Reuerendus pater dominus Petrus Foroliuienfis.  
 Reuerendus pater dominus Marius Vrgentinus.  
 Reuerendus pater dominus Hugolinus Licienfis.  
 Reuerendus pater dominus Albertus Sebaftenfis.  
 Reuerendus pater dominus Iacobus Signienfis.  
 Reuerendus pater dominus Marcus Senogallienfis.  
 Reuerendus pater dominus Baptifta Aquinatefis.  
 Reuerendus pater dominus Petrus Narnienfis.  
 Reuerendus pater dominus Petrus Vrgellenfis.  
 Reuerendus pater dominus Latinus Veftanus.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonenfis.  
 Reuerendus pater dominus Benedictus Chienfis.  
 Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.  
 Reuerendus pater dominus Galefius Bellunenfis.  
 Reuerendus pater dominus Andreas Literenfis.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Francifcus \* Auellinenfis.  
 Reuerendus pater dominus Hugo Rheginus.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenfis.  
 Reuerendus pater dominus Vincentius Caiacenfis.

ANNO  
 CXXXIII  
 133.

\* Petri  
 tin.

\* Laudil-  
 den.

ANNO CHRISTI 1553.  
 Reuerendus pater dominus Georgius Bellicensis.  
 Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricensis.  
 Reuerendus pater dominus Scabonius Imolensis.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Elnensis.  
 Reuerendus pater dominus Hieronymus Asculanus.

*Abbates.*

Reuerendus pater dominus Floremundus abbas sancti Gregorii de Vrbe.  
 Reuerendus pater dominus Ioannes Andreas abbas sancti Sebastiani extra Urbem.  
 Reuerendus pater dominus Hilarius præceptor sancti Spiritus de Vrbe.

*Generales ordinum.*

Magister Ægidius generalis ordinis eremitarum sancti Augustini.  
 Magister Angelus generalis ordinis beatæ Mariæ Seruorum.

*Oratores.*

Illustris dominus Albertus de Carpi orator Maximiliani electi imperatoris.  
 Magnificus dominus Hieronymus Vich orator Catholici Ferdinandi Aragonum regis.  
 \* Oſtro-rog. Illustris dominus Stanislaus de \* Osteroch orator regis Poloniæ.  
 Magnificus dominus Franciscus Foscarus orator Venetorum.  
 Reuerendus pater dominus Marinus Caracciolus orator ducis Mediolanensis.  
 Magnifici domini P. de Bondelmonte, & Iacobus Saluiati, ac Franciscus Victorius, oratores Florentinorum.  
 Reuerendus pater dominus Alexander archidiaconus Mantuanus, orator marchionis Mantuæ.

*Illustres domini temporales.*

Illustris dominus Iulianus de Medicis frater germanus sanctissimi domini nostri.  
 Illustris dominus Camerini.  
 Magnificus dominus Franciscus Cibo.  
 Illustris dominus Marcus Antonius Columna.  
 Illustris dominus Franciottus de Vrsinis cum eius filio.

*Conseruatores Urbis.*

Dominus Hieronymus Benzon cum sociis.

Fuit celebrata Missa submissa voce per reuerendum patrem dominum Gabrielem archiepiscopum Dyrrachiensem, & habita oratio per dominum Baltassarem del Rio clericum Palentinum, protonotarium apostolicum, reuerendissimi domini cardinalis Alborensis secretarium: cuius tenor in fine presentis sessionis est insertus. Et cantatis litanis, & aliis deuotis orationibus, & ab eodem sanctissimo domino nostro benedicta Synodo, prout moris est, reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis, de Farnesio vulgariter nuncupatus, cantauit euangelium secundum Lucam, quod incipit: *Designauit Dominus & alios septuagintaduos discipulos*, &c. Quo finito oratores Poloniae supradicti praesentarunt mandatum illustrissimi domini Sigismundi regis Poloniae. Et reuerendus pater dominus Thomas Phædra ascendit ambonem, & legit illud tenoris inserti, videlicet:

Luc. 10.

## MANDATVM REGIS POLONIAE.

*Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiaeque, &c. dominus & heres.*

Notum facimus vniuersis & singulis harum seriem inspecturis, lecturis seu auditoris, quod postea quam accepimus dominum olim felicisque recordationis Iulium II. diuina prouidentia sanctae Romanae ac vniuersalis ecclesiae summum pontificem, pro defendenda sanctae Romanae ecclesiae vnitae, & sanctissima contra catholicae fidei & crucis Iesu Christi hostes expeditione suscipienda, Concilium generale in Laterano indixisse, memores officii ac debiti nostri, quo eidem sanctae Romanae ecclesiae matri nostrae sumus adstricti, pro cuius honore & tranquillo statu omnes vires nostras effundere semper parati sumus, de certa nostra scientia, ac vniuersorum regni ac dominiorum nostrorum, principum spiritualium & saecularium, procerum, communitatum ac militiarum consilio & coassensu, reuerendum in Christo patrem dominum Ioannem ecclesiae metropolitanae Gneznensis archiepiscopum, & regni nostri primatem, & magnificum Stanislauum de \* Ostrorog<sup>roch</sup> equitem auratum, Palatinatus castellanum, nostros & regni nostri consiliarios sincere dilectos, quos etiam nuper piis

ANNO  
CHRISTI  
1513.

piis paternisque monitis prædicti olim Iulii summi pontificis ad infra scripta designatos legauerimus, eosdemque ad sanctissimum in Christo patrem & dominum, dominum Leonem decimum diuina prouidentia eiusdem sanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summum pontificem modernum, & sanctam sedem apostolicam, ac sacrum Lateranense Concilium, si & in quantum cœptam prosecutionem habuerit, oratores designauimus & designamus, & deputamus harum serie literarum, dantes illis plenam & omnimodam potestatem pro nobis ac regnis, dominiis, principibus, spiritualibus & sæcularibus, proceribus & populis ditioni nostræ subiectis coram eadem sanctitate domini nostri, domini Leonis decimi papæ moderni, comparendi, ibidemque obedientiam, iuxta maiorum meorum consuetudinem, præfato sanctissimo domino nostro nouo præstandi, & recognoscendi eundem sanctissimū dominum nostrum papam esse verum, vnicum & indubitatum pontificem, & dominici gregis pastorem, & in sacro Lateranensi Concilio dicendi, proponendi, atque quæ regno nostro opportuna sunt, petendi, agendi, tractandi omnia & singula, quæ ad celebrandum & concludendum ipsum sacrum Concilium, & quæ in eodem proponentur & tractabuntur, nec non ad dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ & membrorum eius vnionem, Christianæque religionis augmentum, atque ad sanctissimam & a nobis desideratam in eius Christianæ religionis & catholicæ fidei hostes expeditionem, & quæ ad obedientiam consuetam præstandam fuerint necessaria seu opportuna, etiam si talia forent, quæ mandatum exigent magis speciale, quam præsentibus est insertum; & quæ ipsimet faceremus, seu facere possemus, si præsentem adessemus. Promittentes nos ratum, gratum, validum atque firmum habituros quidquid in prædictis & quolibet eorum, per dictos nostros oratores actum & gestum fuerit. In quorum fidem & testimonium præsentem scribi & sigillo nostro sigillari fecimus.

Datum Poznanix decima mensis Aprilis, anno Domini 1513.

Sigismundus rex  
scripsit.

Quo perlecto, reuerendus pater dominus Marinus  
Concil. Tom. 34. Oo

Caracciolus præsentauit mandatum illustrissimi domini Maximiliani ducis Mediolanensis: & idem Phædra legit in ambone tenoris infra scripti, videlicet:

MANDATVM DVCIS MEDIOLANI.

*Maximilianus Maria Sfortia, vicecomes, dux Mediolani, &c.  
Papiæ princeps, Angleria comes, ac Genuæ  
& Cremonæ dominus.*

Nemini dubium sit, quod sacrosancta vniuersalis Synodus, in Deo optimo maximo congregata, vniuerso Christiano orbi & gregi dominico, ac etiam catholicis principibus est admodum proficua & salutaris. Nam circa Christianæ religionis indiuisibilem vnitatem, pacem & tranquillitatem versatur, pro vniuersali morum in capite & in membris ecclesiæ reformatione ac Christianæ fidei augmento, & vt vitia extirpentur, corrigantur excessus, & virtutes solidæ inferantur. Tendit etiam ad regum & principum inuicem dissidentium pacificationem & concordiam. Anno superiore felicitatis recordationis Iulius secundus Lateranense Concilium instituit, & reformandæ ecclesiæ initium tulit, & normam afferre cœpit, extirpando errores qui surgere in Christianis populis velle videbantur. Dehinc vt Pisanum Conciliabulum tolleret, & eius perniciosissimi schismatis extirparet auctores, ipsos & præcipuos eorum fautores Italia expulit. Quibus expulsis, mihi in primis aditus patuit ad recuperandum paternum & hereditarium statum Mediolanensem. Iulio secundo ex humanis sublato, qui tantorum operum auctor esse cœperat, illi successor creatus est, in quo nec sapientia maior, nec animi bonitas firmior ad peragendum quæ inchoata fuerant, desiderari posset. Nuper igitur certior factus sum, sanctissimum ac beatissimum dominum nostrum, dominum Leonem diuina prouidentia decimum pontificem maximum in Lateranensi Concilio sextam sessionem celebrasse, & principes ac populos omnes monuisse, & statuuisse, quæ finiendo Concilio supersunt, & pacando Christiano orbi necessaria videntur, peragere velle. Res profecto admodum salubris, & quæ nullis vnquam laudibus satis efferi posset. Hæc autem cum ab omnibus sint magnificienda, minime



ANNO  
CHRISTI  
1511.  
1511.

me sine graui nota negligi possent. Neque enim vnquam ex animo excidet, occupato parentis mei statu, id ipsum quod patria procul vixi, serenissimi Cæsaris beneficio \* re-  
ctum me vixisse: & nisi inter ceteros beatissimi Iulii secun-  
di arma Gallum hostem pepulissent, frustra a me per hæc tempora parentis mei principatus desiderari potuisset. Col-  
libens igitur atque omni studio ad Lateranense Concilium accedo: cui, nisi impius atque ingratus esse velim, deesse nusquam debeo. A sancta nostra matre ecclesia separare me, iniquissimum esset, præsertim cum ad id ipsum, quod sum, apostolicæ sedis & sanctissimæ ligæ, Romanique Cæsaris beneficium esse agnoscam ac fatear. Omnibus igitur meliori modo, via, iure, forma & causa, quibus melius, validius & efficacius possum, eligo, creo, atque constituo reuerendum dominum Marinum Caracciolum apostolicum protonotarium, consiliarium & oratorem dilectum meum, verum & certum ac legitimum procuratorem, & mandatarium ac nuntium specialem, vt nomine meo in hoc sacro Concilio ac Christiana religione & congregatione intersit, assistat, suffragetur, & in omnibus & singulis actis & processibus ea agat, tractet, proponat & concludat, quæ pro sanctæ Romanæ ecclesiæ reformatione, & pacandis Christiani orbis turbationibus atque incommodis, agi, firmari & concludi oportere censebitur. Polliceor autem in verbo veri principis & cum iuramento, omnia & singula me firma & rata habiturum, quæ per ipsum ad hoc publicum bonum procurata, dicta, acta, gesta aut promissa fuerint. In cuius rei fidem & testimonium præsentem fieri iussi, & non solum sigilli mei munimine, verum manus meæ propriæ subscriptione stabiliui.

Datum Papiæ die nono Maii, millesimo quingentesimo decimotertio.

Maximilianus.

Quo etiam finito, reuerendus dominus Alexander archidiaconus Mantuanus dedit mandatum illustrissimi marchionis Mantuæ, & dominus Thomas Phædra legit illud tenoris infra scripti, videlicet:

## MANDATVM MARCHIONIS MANTVÆ.

ANNO  
CHRISTI  
1577.*Franciscus marchio Mantuæ, &c. sanctæ Romanæ  
ecclesiæ consalonerius.*

Sicuti contingit nobis diuino beneficio ecclesiæ sanctæ Dei sacri corporis esse membrum haud ignobile, sic nobis conuenire intelligimus, præfatæ ecclesiæ semper in hærare, pro ea & cum ea extrema quæque pati, & more boni militis gloriosum ipsius vexillum nusquam deferere. Cum igitur alias sacrum Lateranense Concilium indixerit sanctæ memoriæ Iulius papa II. dignitatis ecclesiasticæ studiosissimus, & in primis a nobis semper adorandus. Is namque vt erat pientissimus, e tenebris & umbra mortis gratuita redemptione nobis ereptis, salutem & dulcissimam libertatem restituit: propter quod immortale meritum, opinamur Deum optimum maximum, precibus nostris exauditis, retribuisse copiosam sibi in cælis mercedem. Quod quidem consilium beatissimus dominus Leo papa decimus, nuper diuinitus ad apostolatus apicem euectus, (quod nobis faustum felixque futurum re ipsa perspeximus) cum maxima populi Christiani frequentia prosequitur, licet superioribus diebus speciales oratores, illustrem dominum Aloysium Gonzagam marchionem, & etiam consanguineum nostrum carissimum, & dominum Franciscum Bonatum iuris vtriusque doctorem, ciuem nostrum dilectissimum ad eius beatitudinem venerandam adorandamque miserimus, vt in his etiam quæ in posterum occurrere possunt, pro virili nostra integerrime facere satis valeamus, specialem nuntium, procuratorem, & in omnibus & singulis, in amplissima & validissima forma, vices nostras omnimodas gerentem, facere persuademur. Harum propterea serie omni meliori modo eligimus, constituimus, creamus & deputamus nostrum verum, certum, legitimum & indubitatum procuratorem & nuntium specialem & generalem, ita quod specialitas generalitati non derogat, nec contra; & omnimodas vices nostras gerentem, reuerendum in Christo archidiaconum Mantuanum dominum Alexandrum Gablonetam iuris vtriusque doctorem & oratorem nostrum carissimum. Cuius fidem & nobis inferuendi voluntatem multis an-

ANNO  
CHRISTI  
1513.

nis probauimus & cognouimus, ad quantum in nobis est, sacrum Lateranense Concilium, per felici memorie sanctissimum Iulium papam recte & rite diuinitus indictum & conuocatum, in omnibus & per omnia, prout & quemadmodum eius beatitudo statuit & ordinauit, laudandum, confirmandum & venerandum, atque debitis temporibus in omnibus actis processibusque eiusdem sacri Lateranensis Concilii comparendum, in ipsoque debitam audientiam prefato sanctissimo domino nostro Leoni, toties, quoties fuerit opportunum, prestandum, & eundem dominum nostrum verum, vnicum, canonicum & indubitatum pontificem dominici gregis pastorem esse, quem, etsi mori oportuerit, nunquam negabimus, confitendum, recensendum & recognoscendum, in ipsoque sacro Lateranensi Concilio dicendum, proponendum, tractandum, firmandum, reuocandum, damnandum, laudandum vouendumque, & nostro nomine omnia & quaecumque celebrationi, continuationi & conclusioni dicti sacri Lateranensis Concilii, & quae in eodem proponentur, tractabuntur, decidentur, vnionique & indiuiduitati dictae sanctae Romanae ecclesiae matris nostrae & membrorum, nec non morum vniuersali reformationi, fideique augmento necessaria, seu etiam opportuna, & sine quibus ea commode fieri seu perfici nequirent, etiam si speciale, singulare & indiuiduum mandatum exigent, & maiora essent expressa. Ita quod ea omnia quae nos ipsi, si praesentes essemus, omni validiori modo facere possemus, cum omnibus clausulis, iuramentis & obligationibus necessariis, & quibus efficacius fieri potest, valeat & ipse validissime celebrare & nostro nomine perficere, & ad consilium sapientis non solum praesens nostrum mandatum extendere, sed in omnibus & singulis occurrentibus, maioribus etiam expressis, addere, & cum clausulis & obligationibus, prout expedierit, confirmare: quoniam super praedictis omnibus & singulis, cum annexis, dependentibus, emergentibus, incidentibus & connexis, omni meliori modo & forma, quibus de iure efficacius fieri potest, prefato reuerendo domino Alexandro plenarie vices nostras committimus, damus & conferimus, promittentes ratum, gratum, validum atque fir-

num, omni in loco & tempore perpetuo habere, quid-  
quid in prædictis & circa prædicta, & quodlibet eorum,  
per præfatum dominum archidiaconum dictum, actum,  
procuratum gestumve fuerit, & in nullo vnquam contra  
facere vel venire aliqua ratione vel causa. Renuntiantes  
omnibus exceptionibus tam iuris quam facti, & omnia  
& singula bona nostra tam præsentia quam futura, cum  
præmissorum omnium & singulorum obseruantia obligan-  
tes.

Datum Mantuæ die duodecima Iunii, millesimo quin-  
gentesimo decimotertio.

Franciscus marchio Mantuæ  
manu propria.

Status Gadius secretarius mandato suo subscripsit.

Quo finito, reuerendus Laurentius de Medizeldri, o-  
rator illustrissimorum dominorum Stanislai & Ioannis  
ducum Mazouia, dedit mandatum: & idem Phædra legit  
illud tenoris infra scripti, videlicet:

MANDATVM DVCVM MAZOVIAE.

*Stanislaus & Joannes Dei gratia duces Mazouia,  
Russiæque, &c.*

Significamus per præsentis nostras literas vniuersis  
quibus expedit, quia venerabilem dominum Laurentium  
de Medizeldri cathedralis Vilnensis præpositum, & pa-  
rochialis in Vitepstro archipresbyterum, ecclesiarum, se-  
cretarium regium, oratorem, nuntium & procuratorem  
specialem, ad sacrum generale Concilium Lateranense,  
per modernum sanctissimum dominum nostrum Iulium  
diuina prouidentia papam secundum, cum sacro reue-  
rendissimorum dominorum cardinalium collegio institu-  
tum, & ad Kalendas Nouembris translatum, de mente no-  
stra bene & plene informatum, iussis eiusdem sanctissimi  
domini nostri morem gerentes, deputauimus, designa-  
uimus, misimus & constituimus, deputamusque, designa-  
mus, mittimus & constituimus, dantes & concedentes  
eidem plenam & omnimodam facultatem nomine nostro  
in eodem Concilio super statu religionis Christianæ, ac  
sanctæ Romanæ vniuersalisque ecclesiæ rebus, etiam du-  
catus nostri, consulendi, agendi, differendi & conclu-

ANNO  
CHRISTI  
1553.

ANNO  
CHRISTI  
1513.

dendi, volentes ea omnia quæ idem nomine nostro egerit in eodem sacro conuentu, rata, grata atque firma habere, etiamfi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus subappendi iussimus.

Datum in ciuitate nostra Eziechonouu, vigesima Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo decimo tertio.

Quo finito, idem dominus Thomas Phædra legit quamdam schedulam subscriptam per dominum Bernardinum de Caruaial, & F. de sancto Seuerino, olim sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, super materia abiurationis schismatis & vnionis ecclesiæ, cum conuenientibus verbis & humili erroris confessione, & veniæ petitione, tenoris infra scripti, videlicet:

Tenor huius schedulæ non est insertus, quia cum esset in manu dicti Thomæ secretarii, qui postmodum defunctus est, nunquam potuit reperiri.

Quin domini Bernardinus Caruaial, & F. de sancto Seuerino, postmodum per sanctissimum dominum nostrum, seruatis solennitatibus consuetis, paucis diebus elapsis, in palatio apostolico pristinæ dignitati in consistorio secreto solenniter post schismatis abiurationem restituti fuerunt, cum venissent prius per aulas palatii apostolici, vbi magna multitudo conuenerat, tamquam priuati clerici, & non cardinales, habitu clericorum sæcularium induti simpliciter coloris violati, & bireto eiusdem coloris, ante pedes sanctitatis suæ coram sacro senatu genuflexi, & schisma in solenni forma intelligibili voce iuxta tenorem certæ schedulæ, quam in manibus tenebant, factæ, & realiter abiurassent, & veniam humiliter erratorum petiissent, prioribus vestibus exuti, habitum cum bireto rubeo cardinalium consueto induti, per magistrum ceremoniarum, & ad osculum pedum & oris per sanctitatem suam admissi, & capello rubeo accepto de manu sanctitatis suæ, & ad osculum aliorum cardinalium recepti, & de speciali gratia ad priorem locum restituti fuissent, iuxta morem prædecessorum suorum seruari solitum in similibus, prout latius in actis publicis in camera apostolica, & apud secretarios domesticos pontificis & Conci-

lii latius continetur. Deinde lecta schedula prædicta, exclusisque ceteris de more non habentibus voces definitivas in Concilio, clausoque ostio Concilii, exceptis oratoribus & baronibus qui remanserunt, prælatisque omnibus post sanctissimum in suis subselliis cum mitris & vestibus sacris confidentibus de more.

Demum reuerendus pater dominus Pompeius de Columna episcopus Reatinus ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam tenoris infra scripti de mandato sanctissimi domini nostri papæ, alta & intelligibili voce, videlicet:

*Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.*

Meditatio cordis nostri assidua \* sacri Lateranensis Concilii vigilans & intendens, ad ea potissimum vertitur, quæ per prædecesores nostros Romanos pontifices pro tuitione ecclesiasticæ libertatis, deformatoremque præsertim in officiis apostolicæ sedis reformatione, ac Christi fidelium pace & tranquillitate, prouide statui & ordinari incepta, per nostræ prouisionis ministerium, debitum & salubrem sortiantur effectum. Dudum felicitis recordationis Iulius papa secundus prædecessor noster negotium & discussionem declarationis, nullitatis & abrogationis assertæ sanctionis pragmaticæ in partibus Gallicanis contra libertatem præfatam in dictæ sedis vilipendium, abusu Gallicorum prælatorum & nobilium, & aliorum laicorum eis fauentium introductæ, venerabilium fratrum nostrorum, tunc suorum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque discussorum sibi & Concilio præfato faciendam, dicto Concilio approbante commisit, Gallicosque prælatos, capitula ecclesiarum & monasteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, & dicta sanctione abutentes, omnesque alios & singulos in præmissis sua communiter vel diuifim interesse putantes, moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparandum coram prædecessore & Concilio præfatis, causasque dicendum, quare sanctio præfata, illiusque corruptela & abusio in concernentibus auctoritatem dictæ ecclesiæ, sacro-

ANNO  
CHRISTI  
1555.

facrorum Canonum & libertatis præfatæ violatione m, nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, statuit & ordinauit, nec non literas suas, per quas Romanæ curiæ officiales, & illorum exactiones generaliter reformauerat, per nonnullos deputatos & deputandos, particulariter declarari, & declarationes ipsas sibi in eodem Concilio referri præcepit, prout in literis seu schedulis dicti Iulii prædecessoris desuper confectis plenius continetur. Cum autem dicto Iulio prædecessore in humanis agente, diuersis impedimentis causantibus, citatio exequi & reproduci, ac negotium abrogationis discuti, ac reformatio huiusmodi particulariter, vt intentionis ipsius Iulii prædecessoris fuerat, fieri non potuerint, sed ipso Iulio prædecessore rebus humanis exempto, citatio ipsa legitime executâ, in proxima præcedenti sessione per procuratorem fiscalem nostrum reproducta, ipsorumque citatorum non comparentium contumacia accusata, & ad vltiora procedi petitum fuerit: nos licet totis animi desiderijs nil magis affectantes, quam præmissas & alias causas vtilis & necessarias, propter quas dictum Concilium indictum extitit, ad debitum finem perducere: tamen, vt mature & humaniter procederetur, petitioni præfatæ responsionem non dedimus, nuncque etiam cum præfato Concilio intelligentes, per citatos & monitos huiusmodi diuersa impedimenta allegari, quare in termino eis præfixo comparere, defensionesque eorum allegare, & de eorum iure docere non potuerunt, vt omnis iustæ excusationis & querelæ materia eis auferatur, iam libero saluoconductu ipsis & aliis ad Concilium huiusmodi venire volentibus in dicta proxima præcedenti sessione concessio, cardinalium aliorumque prælatorum, qui præmissa & alias conciliares materias audiant, discutiant, auditaque & discussa in eodem Concilio referant, particulari deputatione per nos facta, etiam vt maiorem nostram & Concilii præfati erga eos benignitatem sentiant, eodem sacro Concilio approbante, terminum citationis & monitionis huiusmodi præfixum vsque ad primam sessionem post Kalendas Nouembris proxime venturi tenendam prorogauimus; ipsumque terminum illis non currere, nisi post primam sessionem prædictam tenendam, nec in ali-

quo præiudicare decernimus. Et insuper cum vltra cardinales iam deputatos, nonnullos prælatos per dictum Concilium electos, additis aliquibus ex legitimis causis, qui reformationi prædictæ generali intendere debeant, deputauerimus, sitque nostra firma intentio & dispositio, vniuersalem reformationem, tamquam vtilem & necessariam ad dominici agri purgationem & culturam, omnino prosequi & perficere, Domino disponente: sed quia graues querelæ in dies contra officialium Romanæ curiæ abusum & extorsiones ad nos deferuntur ex diuersis orbis partibus, dictaque reformatio iam cœpta tempore felicitis recordationis Iulii secundi prædicti prædecessoris nostri fuerit, sacro approbante Concilio, ideo ad hoc vt illa citius terminetur, & ea absoluta, ad alias reformationis partes deueniri possit, & querelæ prædictæ tollantur, quod cardinales & prælati per ipsam reformationem deputati, auditis prius & intellectis officialibus præfatis, eorumque iuribus examinatis, reformationem prædictam iuxta tenorem literarum dicti Iulii prædecessoris desuper editarum, & Concilii præfati in tertia siue quarta sessione determinationem; ac iuxta primæuas officiorum institutiones seu antiquas consuetudines, vsque ad tempora piæ memoriæ Sixti quarti etiam prædecessoris nostri obseruatas, vel alias, prout eis videbitur, facere, formasque & modos, quos officiales ipsi in exigendis taxis, emolumentis regalibus & prouentibus quibuscumque seruare, & a quibus sub pœnis in literis ipsius Iulii prædecessoris desuper contentis abstinere teneantur, particulariter & distincte declarare & decidere, ac reformationem & decisionem per eos faciendas, in proxima futura vel aliis sessionibus, quibus commode id fieri poterit, referre debeant, vt per dictum sacrum Concilium & nos approbati & debitæ executioni demandari valeant & inuiolabiliter obseruentur, eodem sacro Concilio approbante, statuimus & ordinauimus. Ceterum, quia tam ex debito iniuncti nobis desuper apostolicæ seruitutis officii, quam vt in imminente & notorio infidelium periculo ac effusione Christiani sanguinis, qui exigentibus nostris culpis frequenter in dies effunditur, occurratur, & dissensiones quæ inter Christianos principes vigent, tollantur, cogi-

ANNO  
 CHRISTI  
 1547



ANNO  
CHRISTI  
1513.

mur inter reges & principes Christianos totis viribus pacem querere, cuius componendæ vna ex principalioribus congregationibus Concilii præfati causâ extitit, vt ipsa sequatur & inuiolata perduret, & debitæ executioni demandetur, præsertim his temporibus, quibus potentia infidelium & inimicorum fidei creuisse dicitur, Concilio præfato approbante, ad reges, principes & potentatus præfatos, legatos & nuntios pacis, vigiles, doctrina, experientia & probitate insignes, pro tractanda & componenda vniuersali pace mittere disposuimus & decreuimus, vtque arma deponant, Domino auxiliante, quantum in nobis est, pro viribus laborare & operari, regumque & principum & potentatuum huiusmodi oratores in ipso Concilio præfentes pro apostolicæ sedis reuerentia fideliumque vnione requirimus, vt regibus, principibus & potentatibus suis respectiue hæc significent, eosque nostro nomine hortentur ad ipsos legatos apostolicos benigne & honorifice tractandum & audiendum, votisque nostris tam iustis & piis per eos illis exponendis satisfaciendum: quod eos facturos credimus, vt quanto citius fieri poterit, & absque legitima excusatione per nos mittendi legationis munus eis impositum sponte suscipere, & susceptum viriliter adimplere possint, ac patre luminum, a quo omne datum optimum est, fauente, pax ipsa <sup>lac. 1.</sup> tractari & componi, eaque composita, sancta & necessaria contra infidelium rabiem, Christianum sanguinem sitientium, expeditio fieri valeat, & pro totius Christianitatis securitate & quiete feliciter terminari. Postremo quia iam temporis dispositione calores æstiuæ instant, prælatorum valetudini, & ad Concilium præfatum venire voluntium commoditati consulentes, aliisque iustis & rationabilibus causis moti, octauam sessionem sextodecimo Kalendas Decembris proxime futuri, præfato sacro Concilio approbante, indicimus faciendam, prælatisque omnibus & singulis, & aliis in eodem Concilio existentibus, a curia præfata recedendi, & vbi eis placuerit, ad eorum libitum commorandi; ita tamen, quod nisi dicto die sextodecimo Kalendas Decembris, cessante impedimento legitimo, præfentes fuerint, in literis indictionis ipsius Concilii, & canonicis sanctionibus contra non accedentes ad

Concilia contentas pœnas incurrant, præfato sacro Concilio approbante, licentiam & facultatem concedimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prorogationis, assignationis, deputationis, confirmationis, commissionis, continuationis, reformationis, deliberationis, monitionis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursum.

Datum Romæ in publica sessione in sacrosancta Lateranensi basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimotertio, quintodecimo Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno primo.

Ia. Sadoletus.

Ia. Questemberg.

Qua perlecta, idem episcopus petiit a patribus, an placerent eis contenta in scheda. Et omnes responderunt, placere contenta in scheda, excepto reuerendo patre domino Ieremia archiepiscopo Tranensi, qui dixit, non placere dilationem quoad reformationem, nec etiam quoad pacem & reuocationem pragmaticæ. Et etiam dixit, quod cum tractatu reuocationis deberet tractari de prouisione faciendâ super causis contentis in reuocatione. Et hæc fuerunt pro septima sessione. Et fuit indicta octaua sessio decimo Kalendas Decembris. Super quibus omnibus & singulis dominus Marius de Peruschis procurator Concilii petiit instrumentum & instrumenta.

Deinde anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimotertio, indictione prima, die vero decimasexta mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno primo, discretus vir Bellauilla eiusdem sanctissimi domini nostri cursor, in valuis basilicæ principis apostolorum, & sancti Ioannis Lateranensis, ac cancellariæ apostolicæ, publicauit literas siue schedulam prorogationis octauæ sessionis, cuius tenor talis est.

Leo episcopus seruus seruorum Dei octauam sessionem sacri celeberrimique Lateranensis Concilii, in qua terminum in septima sessione præcedente, Gallicis prælatis & eis fauentibus, suaque interesse putantibus, citatis & monitis

ANNO  
CHRISTI  
1513.

ANNO  
CHRISTI  
1511.

ad dicendum causam, quare sanctio pragmatica in concernentibus sacrorum Canonum & libertatis ecclesiasticæ violationem nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, præfixum; & quarum citationis & monitionis executio reproducta, & ipsorum citatorum & monitorum contumacia accusata fuerat, eisdem citatis & monitis non currere, nisi post primam sessionem, nec in aliquo eis præiudicare decreuimus, ac declarationem & decisionem reformationis officialium, & hæresum extirpationem, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus & prælatis per nos commissas, referendas statuimus & ordinauimus: nec non pro vniuersali pace inter Christianos principes & potentatus componenda, ad eos legatos & nuntios mittere disposuimus, regumque, principum & potentatum huiusmodi oratores in ipso Concilio tunc præsentibus, ut regibus, principibus & potentatibus suis respectiue id significarent, eosque nostro nomine hortarentur, ad ipsos legatos apostolicos benigne & honorifice tractandum & audiendum, votisque nostris tam iustis & piis per eos illis exponendis satisfaciendum, ad decimum sextum Kalendas Decembris proxime præteriti faciendam per nos indictam, ex certis legitimis causis tunc expressis, ad diem Veneris post proximum festum sanctæ Lucie prorogamus, quæ erit xvii. Kalendas Ianuarii, faciendam indiximus: terminumque citatis & monitis præfatis, ut præfertur, præfixum interim non currere, & in aliquo eis non præiudicare, nisi post octauam sessionem præfatam, decernimus & declaramus. Cum autem cardinales & prælati congregationum, quibus fidei & reformationis officialium, & pacis causæ huiusmodi commissæ fuerunt, licet omni studio & diligentia circa illarum expeditionem elaborauerint, quia tamen resolutiones per eos factæ in debitam schedulam adhuc reduci non potuerunt, id infra triduum factum esse, ac proxima dies Veneris, qua dicta octaua sessio per nos indicta teneri debeat, instare noscatur: Nos igitur ex præmissis & aliis causis super hoc prouidere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum consilio & vnanimi consensu, octauam sessionem & diem Veneris huiusmodi ad diem Lunæ proxime futurum prorogamus, & octauam sessionem ipsam dicta die Lunæ, quæ erit decimaquarta Kalendas Ianuarii,

faciendam indicimus, terminumque citatis & monitis præfatis, vt præfertur, præfixum interim non currere, & in aliquo eis non præiudicare, nisi post ipsam octauam sessionem, decernimus & declaramus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimotertio, Idibus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

## P L A C E T.

Deinde die decimasextima eiusdem mensis fuit congregatio in capella superiori palatii apostolici omnium trium congregationum, super fide, pace & reformatione: in qua reuerendissimi domini cardinales & prælati deputati legerunt schedulas tres super fide, pace & reformatione, quæ in octaua sessione inferuntur, & hoc post multas congregationes prius factas super huiusmodi consultatione.

*Inuictissimo & augusto principi Ferdinando Hispaniarum sceptrâ tenenti, Aragonum, utriusque Siciliae ac Ierusalem regi Catholico, Baltassar del Rio scholasticus Myndoniensis, apostolicæ sedis protonotarius, debitam mancipii reuerentiam, felicitatem P. D.*

Aristoteles philosophantium princeps, inuictissime rex, Callisthenem suum auditorem ad magnum Alexandrum condiscipulum mittens, monuisse fertur, vt cum eo aut quam rarissime, aut quam iucundissime loqueretur, quo apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. Xenocrates quoque philosophus alter, qui nobis multa audire, pauca vero loqui licere, & eapropter duas nobis a natura aures, & os vnum insitum fuisse aiebat, cum maledico quorundam sermoni summo cum silentio interesset, interrogatus, cur solus linguam cohiberet: Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Graue quidem alterius præceptum, alterius autem præclara sententia fuit. At ego, cum a silentio iucunditatē, a iucunditate veritatem sæpius procul esse conspexerim, æstimavi tutius mihi fore, amicum habere Platonem: sed salubrius, dominam & parentem veritatem colere: quia quanto magis veritati præsto sum, tanto minus a rerum omnium opificis via & vita secedere videor. Quam

ANNO  
CHRISTI  
1553.

ob rem cum in dies & in horas fama crebuerit, atrocio-  
 rem impræsentiarum hostem habere Christianam religionem,  
 quam antehac fuerimus experti, quem amicis & affini-  
 bus, consanguineis & fratribus, proprio denique sangui-  
 ni non pepercisse intelleximus: nam & binos ex fratre ne-  
 potes, & fratrem ipsum (nepotibus prius strangulatis, vt  
 sanctissimo domino nostro Leoni, & sacrosancto cardina-  
 lium senatui nudius tertius per fide dignas literas denuntia-  
 tum est) nuperrime occidisse non expauit, Hungariæ re-  
 gnum mox inuasurus, cuius iam duo emporia, regni præ-  
 cipua antemuralia, igne vastauit, quo illinc commodior  
 sit illi ad nos aditus. Ego vero tanto repente laceffitus in-  
 felici nuntio, vtriusque spreto philosophi consilio, licet a-  
 lios hac ipsa de re verba fecisse, & parum aut nihil ad tam  
 sanctum opus animos allexisse compererim, vt quemad-  
 modum duræ cautes assiduo lymphæ tenui delapsu perfo-  
 rantur, ita & inconcussa audientium mentes, quibus quæ  
 reipublicæ nostræ conducunt, quandoque obaudire mos  
 est, repetita toties viuida verborum vi penetrentur, ac-  
 cendantur, incitentur, efflagitatus a maxime venerando  
 antistite domino Laurentio Puccio Florentino, felicitatis re-  
 cordationis Iulii secundi pontificis maximi & in eius locum  
 successi Leonis sanctissimi a datandis dictandisque literis  
 apostolicis obsequentissimo mancipio, & veræ huius Ro-  
 manæ curiæ præfulgido sidere, literatorum præsidio, & de-  
 nique absque adulationis labe, bonitatis integritatisque cul-  
 tore optimo, & de maiestate tua optime merito; qui dum  
 proxime exacto anno coram vigili pastore Iulio præfato  
 de dominica passione ac mortis nostræ morte me concio-  
 nantem audiret, de hac ipsa sanctissima in Turcas expedi-  
 tione orationem aliquando habere me coegit; non potui  
 tandem in tanta rei necessitudine rerumque expectatione  
 formidolosus non paruissse, ac parendo carptim non tetigissse  
 se nonnulla de te, deque aliis Christianis principibus, qui-  
 bus Christianæ reipublicæ tutandæ ampliandæque cura est.  
 Inter quos quia eminentissimum fidus semper fulsisti, etiam  
 si ad gloriæ tuæ æmulum perniciem, maiestati tuæ af-  
 sentari videar, dum vera loquor, loqui non pudet. Nec pu-  
 dit pariter aperta voce mutire, & in media vrbe & orbis  
 terrarum, ac vniuersalis ecclesiæ sacrosancta area propa-

lam bonos extulisse, de fide catholica bene meritos commendasse, Christiani nominis hostium domitores alii prætulisse, reliquos vero sibi tantum natos principes, ut aiebat diuinus ille Plato, silentio præteriisse, clarisque tuis facinoribus intentos ad hanc sanctissimam expeditionem maxime necessariam inuitasse & prouocasse. Accipe igitur, augustissime princeps, subditi tibi addictissimi, homagiique tibi debiti lucubratiunculam hanc qualemcumque, quam coram tuo & aliorum principum solio, te absente, ac si præsentem fuerim intuitus, non intempestiue habui. Et quia coram tanto confessu ineptias meas vesane fortassis proderem ausus, nunc in lucem edere maiestati etiam tuæ eadem temere, reuerenter tamen dicare non sum veritus, sciens in Christi negotio præsentaneo morem tibi gessisse, & votiue tibi fuisse obsecutum, dum non immerito ab omnibus recte sentientibus regum exemplar Christianorum, ut es, & haberis & iudicaris, cuius propterea omnes Dei causam, teque causæ eiusdem causidicum appellant, tutorem prædicant, & ecclesiasticæ colunt libertatis assertorem. Orationi igitur nostræ, quando quid otii aut curarum vacatio acciderit, rex sacratissime, intende prospere, procede & regna, non isthic tantum, sed in medio illo orbis terrarum & Iosaphat umbilico, ibique, ubi Christus mortem nostram moriendo destruxit, ubi & vitam resurgendo reparauit, quo ipsum rursus supremum iudicem venturum speramus, pro acquirenda tua Ierusalem, pro visendo Caluarie loco, pro colendo vitæ nostræ sepulcro, pro adorando, iam a regibus fidei nostræ primitiis adorato, præsepio, castrametare, & sacratam precioso sanguine humum deiferam tuis tentoriis fode. Extensis autem in Hierosolymitanis arcibus tuis aquilæferis, alteram altera Ierusalem facile consequeris. Alteram inquam, cuius non petra solidata, sed lapis angularis est Christus, qui que in vna crucifixus apparuit, in altera gloriosus manet in sæcula, comitaberis rex regem gloriæ: constituet te supra multa longe maiora, qui in pauca te fidelem & catholicum adinuenit. Et denique, ne prolixius vagari videar, quam ipsa rei ferries exposcit, tu, qui inter ceteros sacro chrismate unctos reges solus catholicus, & non ab re, nuncuparis, fidei catholicæ ac tuum nomen & ditionem, dum datur occasio,

ANNO CHRISTI 1553. casio, vt solitus es, extende, amplia, dilata, ne (quod Deus auertat) quando diutius oppressis Christianis suppetias feramus, suppetiis præsertim nobis opus sit, vicino iam hoste acerrimo perterritis. Vale, regum optime, diuque viue regnorum amœnitate felicissimus. Romæ ex a-  
 dibus reuerendi domini mei cardinalis Arborensis vn-  
 decimo Kalendas Iulii, anno Christianæ salutis millesimo  
 quingentesimo decimo tertio, pontificatus domini nostri  
 Leonis papæ decimi anno primo.

*Nihil impossibile erit vobis. Matthæi xvii.*

Ascensurus ad superos, vnde venerat, seruator noster *Matth. 17.*  
 Iesus, beatissime pontifex, missurus pariter athletic suis  
 paracletum Spiritum, quo totius orbis accolæ aggre-  
 di, inuadere & expugnare non formidarent: *Si habue-* *videm.*  
*ritis*, inquit, *fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic,*  
*Transi hinc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis.* Cu-  
 ius firma veræ fidei institutoris pollicitatione confisus,  
 tantorum patrum qui hoc ipso in loco ante me verba  
 fecerunt, quorum ego corrigiam calceamenti nedum solu-  
 uere, verum deosculari videor minus dignus, auctori-  
 tatem, doctrinam, grauitatem, prægrandes bonarum  
 artium & eloquentiæ torrentes admiratus, nihil de hac  
 omnium celeberrima per gloriosæ memoriæ Iulium se-  
 cundum indicta, nihil de aliis per alios sanctitatis tuæ præ-  
 decessores celebratis Synodis, cum tot & tanta, tamque  
 luculenter & copiose dicta sint, differendum putauit, ni-  
 si vt iam tandem vberrimum aliquem fructum tanti ou-  
 uium Christi satagentissimi pastoris, tantarumque ouium  
 fecundus confessus, ex hoc sacro Dei ouili fecundet,  
 pullulet, pariat, & contra immanissimos fidei nostræ ho-  
 stes, contra Christiani sanguinis sitibundas feras, con-  
 tra patrimonium Christi tyrannice occupantes, arma lu-  
 cis induti, Christianorum arma conuertamus. Et licet  
 Modrusiensis præful in proxime habita sessione, & Lucen-  
 sium primo, Florentinæ deinde reipublicæ, postremo  
 serenissimi Poloniæ regis oratores insignes in reuerentia  
 tibi & regis sui & gentilium tuorum nomine exhibita, de  
 huiusmodi bello suscipiendo multa sapientissime differue-  
 rint, quia tamen paucis tanta complecti nequiverunt, quin

*Concil. Tom. 34.*

Qq

plura aliis recensenda reliquerint, vt eo libentius communi Christianorum iacturæ consulatur, quo instantius periculum formidandum est: vtque ea omnia, & si pluries repetita, balbus ego & hebes, ac ab omni dicendi genere immunis, paucis absoluaui, vosque desidiosus & segnes, iam iam expergiscentes, non ingrata audire, & audita exequi possitis, Gabrielis prece solita Deiparæ nostræ præsidium imploremus: Aue Maria, &c.

*Nihil impossibile erit vobis.*

Verberabat iam tertio, cui insidebat, asinam Balaam, beatissime Christiani gregis animarum protomedice, quia quo vellet herus, nollet asina, obuuii angeli expauescens gladium, iter facere. Aperuit Dominus os asinæ conquerentis, & contra nutum Dei verberantis Balæ oculos diuino fulgore lustrauit, vt quod humano capite erat delicturus in Deum, asellæ verbis a labris angeli iussa capefferet, iubentem adoraret, eiusque nutui pareret. Quid mirum ergo? Quid, qui dudum ante locutus est in igne, in rubo, & nunc in asina, loquatur in me Deus? & ab eo quem rectum reris tramitem, tibi deuiare consulat, labia mea aperiens, vt os meum annuntiet laudem suam? Reris profecto, ni fallor, verum iter proficisci, si iam restituto & aucto B. Petri patrimonio, pacato aliquanto Italiæ tumultu, compositis demum Christianorum principum nonnullis simultatibus, daretur Turcarum rabiem exinde frenatum iri. Sed vbi periculum maius intenditur, vt aiebat in sacro Lugdunenfi Concilio prædecessor tuus Gregorius, vt tu, decimus, ibi procul dubio plenius esse consulendum censeo. Instat Turcarum gladius faucibus nostris, & nos eius acumini colla submittimus: obrepit litora, & ad auratos recessus illecebris educati comprimimur. Depopulatur oppida, vastat agros, grassatur in compitis, & nos segnitie marcescimus. A propriis laribus euellimur, retrudimur ad hos qui extant, sacros penates. Illi igne, ferro, tormentis in vniuersam vndeque Christianam rempublicam: nos in nos ipsos sæuientes, illis ad nostrum interitum opitulamur. Nos vt parua tueamur, amittimus magna: illi, vt maiora sibi posterisque suis relinquunt hereditatis monumenta, grandia quæque sua, ne discordia dilabantur, floccifaciunt & par-



ANNO  
CHRISTI  
1513.

uipendunt. Ita vt si inuictissimus ille Ferdinandus Hispaniarum scepra feliciter tenens, vitæ vmbatilis amator extitisset, tantum Granatæ regnum, & quasi totam illam Bæticam prouinciam, in occiduo nostro octingentis ferme annis a Mauritanis occupatam, in veri Dei cultum ac ditio- nem suam venire minime coegisset: vt quod in oriente alio- rum principum inertia orthodoxæ ditioni per infideles obruncatum est, id ipsum Catholicus princeps catholicæ fidei & sibi ipsi in occidente restitueret. Reminiscens diu- ni verbi, si contra fidei hostes fide & armis dimicandum erat, nihil formidandum, nihil impossibile futurum auspi- cabatur. Si his igitur armis contra inermes dimicandum nobis est, & nihil impossibile erit nobis: aggrediamur no- bis debitam prouinciam, amplectamur omnium sanctissi- mam expeditionem, irruamus in perterritos hostes, iam se- ctæ suæ, secundum eorum prophetiam, finem pertimescen- tes, quæ sexcentis circiter annis post salutiferum Virginis partum incepisse, & secundum astrorum peritos, breui finienda esse perhibetur; in tali asserentes signo initium ha- buisse, vt diu durare posse impossibile sit, aut supra natu- ram magis, seu ob peccatorum nostrorum demerita. Quod ab Alionoto regis Armeniæ fratre facile comprobatur, dum in orientali scribens historia, esse apud Mahumetanos hostes indubiam prophetiam, cuius prætextu ad annum millesimum quingentesimum a Christi ortu duraturam eorum sectam, pro comperto asseuerat. In isto obiter cen- tum annorum curriculo, quorum iam tertium cum deci- mo supputamus, deleri radicitus tantam superstitionem, si non negligimus, si otio non torpemus, aut negotio non dissidemus, ambigendum non est. Lex enim & prophetæ eorum vsque ad Ioannem Medicem, qui infecta terrarum orbis membra abscondet, diruet, & vt leo rugiens deuora- bit. Quæ omnia licet aliter se haberent, quam futura præ- nuntiamus, vrget tamen necessitas, impellit ratio, cogit & hortatur nos ipsa nostra iam imminuta respublica. Nam ante Eubœæ & Aulonis incendium, dum senatus Vene- tus nobis arx Christiana & propugnaculum extitit, mare illud piratis omnibus & grassatoribus vacuum audiuimus. Redactis tamen in miseram Turcarum seruitutem Eubœa & Aulone, liber eis ad nos patet aditus. Nouit quæ lo-

quor, signifera illa immortalis memoria Iulii secundi cataphracta quadriremis, ab hostibus haud dudum prope Corsicam expilata & direpta. Expertæ sunt, nec multo post, tres aliæ Catholici regis validissimæ triremes, & introclusi Christiani, sui nominis hostium efferatam fauitem. Quarum vexillis, proh dolor, velut pisces hami esca, ceteros maria sulcantes Christicolas, ni Deus auertat, deglutient, discerpent, deuorabunt. Sensit quæ recolo, felicitatis recordationis Sixtus quartus, qui tunc Ferdinando Parthenopeo regi, sacri collegii & subditorum ecclesiæ communi pecunia adiutus, maximo terrestri exercitu contracto, instructa cum apostolico legato munitissima classe, suppetias misit. Quia traiecto ex Aulone Adriatico sinu, & expositis in Apuliam haud exiguis militum copiis, tanto impetu Hydruntem eius regionis metropolim oppugnare adortus est quidam Mahumeti Ottomani dux impiger, vt paucis paulo post diebus transactis, nemine interim ante suppetias Sixti succurrente, illam vi ceperit, omnique crudelitatis genere in ea sit debacchatus, & archiepiscopo pontificalia paramenta induto, cum clero & ciuibus in ecclesia trucidato, sacris omnibus profanatis, prostitutis virginibus, iunioribus cum pueris Byzantium in lugubrem captiuitatem transmissis, magnam vtrique Siciliae iacturam, sed maximum toti Christiano orbi terrorē incussit. Nam si præter suppetias ipsas ecclesiæ, diuinum auxilium tunc nobis præsto non fuisset, quo imperantis Mahumeti mors, & inter filios discordia interuenerat, actum erat de his quæ extant, Europæ angustiis: quia formidandum nobis esset, quod illud incendium latius fuerat diffundendum. Sed quos suo ipsius precioso sanguine mercatus est Christus, noluit periclitantibus suæ subuentionis penitus deesse subsidium. Taceo quot idem Mahumetus, viuentem nunc Turcarum tyranno longe mitior & humanior, a nostris manibus suo imperio, regno subdiderit. Nam præter Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphyliam, Lyciam, Cariam, Lydiam ac Phrygiam, regna, prouincias, vrbes insignes, totum fere Hellepontum adussit. Peram & Mitylenem Ianuensium colonias diripuit, Peloponnesum inuasit, ipsisque Achaia, Acarnania, Epiri, maioris Macedoniae Christianis populis non pepercit. Raxiam pariter &

Anno  
Christi  
1574\*famp-  
ro regis  
subd.

ANNO  
CHRISTI  
1553.

Seruiam prouincias, ac quidquid ab Hadrianopoli, Sauumque & Danubium amnes interiacet, suæ ditioni adscripsit, & a nostra abstulit. Valachi eapropter timore percussi, pro maiori parte ad ipsum defecerunt. Bosnam postmodum obrepens, velut horrenda tempesta, Cerbereis faucibus exhaustit vsque adeo, vt senes & infantes, quorum ætati indulgendum; feminas, quarum sexui naturæ lege parcendum erat, ceterosque locorum incolas in plateis concatenatos, ceu boues euiscerari, maçtari, dilacerari canino rictu nefarie iusserit. Illinc Sinopem & Trapezundam, vetusta nostrorum monumenta maiorum, suæ feritati subegit. Ipsam denique Byzantium Constantini urbem augustam sub fide fœderis quiescentem (ac si ab infidelibus fides, ab immanissimis pietas, a perfidis hostibus vita speranda esset) machinis & tormentis extemplo & inopinate oppressam vi cepit, eiusque vniuersa plebe venumdata, & in atrocissimam seruitutem subacta, expugnauit, diripuit, adussit. Et vt nobilitatem omnem penitus deleret, ac indigenas nobiles Christi milites ingenui, sub ficta libertatis spe frustrarentur, saeuus ille canis eosdem iam libertate donatos repente obtruncari præcepit.

Nostra, nostra, inquam, hæc, non proauorum tempestate accidisse comperimus: & si iamiam per caritatis alumnum, maximeque reuerendissimum Hungariæ cardinalem, quem interea & sanctissime quidem, pro te & sacrosancta ista sede, omnium sanctissimæ legationis officio fungi statuis, imminens Turcarum imperatoris procella non retunditur & propulsatur; vereor, pater beatissime, vereor, patres amplissimi, ne dum absentem hinc Hungariæ & Poloniæ calamitati non consulitur, nostratum præsentaneam formidemus, imo (quod absit) deploramus, lamentemur, patiamur. Sed quid in externis, vt ita dicam, enarrandis tempus contero? Nosti, pater beatissime, Coclearium oppidum Valentini litoris, Capritanum castrum Arborensis marchionatus, & alia vtriusque Hesperia & insularum maris nostri maritima loca, quæ nostri nominis hostes, circumuentores & piratæ propalam assidue depopulantur. Pensita, oro, quanti te, quanti sacrosanctam istam sedem, quanti faciant ceteros

Qq iij

Christianæ reipublicæ primores intestinis bellis laborantes, qui nostri vsque domini præcordia penetrare non expauescunt: quorum contagiosam pestem si per Africa fines Ferdinandus noster non compescuisset, irruissent enim uero in nos, & ceu dudum fecerunt, huic sacra Lateranensi basilicæ, igne supposito tunc dilapsæ, nunc minime pepercissent. Nouerunt tamen eius potentia scintillam Melhila, Auranum, \* Busia, Tripolis, ciuitates perpulcræ, Mazarquibir, & alii portus celeberrimi, quibus rex ipse alter Hannibalis \* annulus, nobis uero nostri & Romani sanguinis vindex & ultor est. Ladislaum etiam Hungaria regem serenissimum, Christianæ religionis athletam & ducem strenuum, ne silentio prætereamus, suis tantum regni primatibus comitatum, innumeram sæpe hostium multitudinem aut profigasse, aut dum nostra ambire studebant, sua propria reliquisse, tergaque & vitam nostrorum manibus sæpius dedisse, non dubitamus. Emmanuelem pariter Lusitanorum regem, fidei nostræ fidus præclarum, orientis viscera nostris a Gadibus usque auroram & Gangem penetrasse, fidei expertes vexillo crucis insigniuisse, paganas gentes domuisse, in ditio-nem nostram venire coegisse, nemo nostrum ambigit. Sigismundum præterea Polonia regem, assiduum & acerrimum infidelium domitorem, contra Tartaros & alios hostes contuicinos dimicantem, maximam reportasse victoriam, perennis memoria Iulio secundo & sacrosancto huic collegio, cuius tu præcipuus archidiaconus & colendus collega tunc existebas, denuntiatum est. Quo in conflictu supra quadraginta hostium millia caesa fuisse, pro comperto habemus. Etsi, o utinam iam datum esset solam tantorum principum manum in ueros hostes conuerti potuisse, credidissem profecto de te, Leo maxime, eorumdem regum impensa illud prophetici psalmi dictum: *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Et adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes seruient ei.* Tu uero, qui summi Dei geris uices in terris, quique Christi tunicam, scissuræ iam proximam, inconsutilem, ut erat, præseruasti, uniuersalisque ecclesiæ cardines & principes, ut olim

*Psalm. 71.*

ANNO  
CHRISTI  
1514

\* Busia

ANNO  
CHRISTI  
1513.

manus Domini apostolorum principem a fluctibus, ne mergeretur, erexit, tu quoque in hac lacrymarum fluctuosa valle, ne dissensionis turbine obruerentur, erexisti, euocasti, ouesque ipsas tuas, vocem tuam audientes, pastoris boni vestigia & verba secutus, ad te traxisti: quandoquidem dudum ante oues existens, prædicebas: *Cum exaltatus fuero, omnia traham mecum.* Traxisti, inquam, Domine, omnia ad te, quando quæ aberant ab ouili oues, iam pastor effectus attrahis, foues, amplexaris, vt villicationis tuæ rationem redditurus, Dei verba dicas Deo: *Quos mihi dedisti, non perdidisti ex eis quemquam.* Attrahe pariter & conuoca religionis nostræ sæculares principes, compone eorum similtates: largiantur te duce vnus saltem triennii sanctissimas inducias Deo, quæ mediocri amico etiam non efflagitanti darentur, vt rixis tandem particularibus sedatis, maius & validius copiarum corpus efficiamini: quia nullum robur tam firmum atque solidum, quod diuisum non debilitetur, non cadat, non dissipetur. Ignis in stipites segregatus, extinguitur: domus in lapides diuisa corrui: nauis in tabulas discissa demergitur: *Omne regnum in seipsum diuisum*, vt aiebat Legislator noster, *desolatur.* Christianis etiam principibus inter se dissidentibus, prolabitur funditus Christiana religio: & denique nihil est, quod concordia non constet, cadat discordia. Pariat ergo concordēs animos concors fides, & concordibus membris te sanctissimum amplexantibus caput, expergiscere in Dei subsidium, obliuiscere populum tuum & domum patris tui. *Excita, Domine, potentiam tuam, & veni.* Succurre miseris explosis Christicolis, qui te præstolantur. Consule renatæ labenti religioni, quia *omnes amici eius spreuerunt eam, & non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Audi Dominum, qua te de causâ in hunc terrarum orbem miserit, & qua, delendæ præsertim Mahumeticæ sectæ tempestate, oues suas tibi crediderit. *Vt consolarer, inquit, omnes lugentes Sion, & ponerem consolationem lugentibus Sion.* Tuo nempe gladio fretus: *Conuertam, ait, luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore.* Hac propterea ipsi fide securi, Conuerte, clamitant, luctum nostrum in gaudium: *nam via Sion lugent, quia non sunt qui veniant in eius leuamen, & ipsa oppressa est*

ANNO  
CHRISTI  
1513.

Buzia

*amaritudine.* Tria enim hoc vno nondum exacto anno, vt hanc consolationis spem iam breui complendam facilius crederemus & intueremur, operata est in te Dei omnipotentia maximi, diue Leo: mirabilem, primum, tuam mediis ab hostibus libertatem, non hominum, sed Dei manu donatam: desperatam, alterum, in proprios lares & patriæ amplexus reductionem & receptionem: reliquum, quod non ab re, nec nisi (vt ego ipse vidi, vidi, inquam, immeritus: vidi, & qui vidit, testimonium perhibuit; & scitis patres, quia verum est testimonium eius) vere diuina prouidentia factum censendum est, quod te facerrimus iste senatus ex tot tantisque patribus, tibi ætate maioribus, meritis & vitæ integritate paribus, iuniorum in senem, fratrem, & vt ita dixerim, filium in patrem, collegam in dominum, in Petri successorem, in summum sacerdotem, in Christi vicarium elegerint, assumpserint, adorauerint, vt hanc scilicet sanctam prouinciam assumere, assumptam prosequeris, & longo saltem temporis intervallo longæuius perficeres, perfectam pacares, & Christiano dogmate institueres: ac ceu leo rex quadrupedum, tu alter Leo, hominum non alter rex tantum, sed regum rex, & orbis terrarum monarcha effectus, alias oues quas habes, quæ non sunt de hoc ouili, ad tuum ouile reduceres, alliceres, reuocares. *Accingere ergo gladio tuo super femur tuum potentissime: nam & tu duos gladios habes, spirituales scilicet & temporales. Altero igitur euaginato, altero in vaginam reposito, in hostes irruere, quia nihil impossibile erit tibi. Vinces profecto, quia vicit Leo. Aggredere certamen gloriæ, vbi qui legitime certauerit, coronabitur. Dissolue compedibus mancipatos, afferre pedicis astrictos, aufer vinculis manicas, audi nostrorum lugubres ululatus, excogita miserandos gemitus, pensita lacrymarum & sanguinis profundos torrentes, perpende flebiles singultus. Volue tecum animo, quot nefandas strages, quot sanguinolentas cædes, quot incendia, quot excidia Christianorum, quot Dei nostri templa incensa, diruta, profanata, & ceu prostibula spurcata existima. Misere nostræ Christianæ reipublicæ hanc sacram Synodum appellantis, vociferantisque: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* Fer illis opem, discerpe ergastula, vindi-*

Ioan. vi.

Psalm. 44.

1. Tim. 1.

Iob. 19.

ANNO  
CHRISTI  
1513.

vindica captiuos, manumitte concatenatos. Ecce te in-  
 uitat rex Propheta: *Dirumpamus*, ait, *vincula eorum*, & *Psalm. 2.*  
*proiiciamus a nobis iugum ipsorum*. Deduc eos ad tuum & Do-  
 mini iugum suaue, quia cadent. *Cadent enim a latere tuo Psalm. 90.*  
*mille*, & *decem millia a dextris tuis*. Et vnum interea excogi-  
 ta pontificum felicissime. Si nunc atrocissimæ Turcarum  
 fiti minime obsumus, quo in statu nos, quo in ambiguo  
 posteros nostros, ad has Europæ rimas compressos, su-  
 mus relicturi? Et si nihil impossibile erit nobis, contra pa-  
 trimonium Christi occupantes, contra fidei nostræ ho-  
 stes, contra inimicos crucis arma sumamus. Ad quod e-  
 tiam electionis vas nos hortatur, dicens: *Persequimini ini-* *Philip. 3.*  
*micos crucis, quorum finis interitus est*. Si ergo interitus, audea-  
 mus certa Pauli sponsione securi. Tuque beatissime pon-  
 tifex, quem item sacrosancta hæc Synodus appellat, ob-  
 testatur, & in Prophetæ verbis proclamat: *Tu es qui re-* *Psalm. 15.*  
*stitues hereditatem meam mihi*: cuius ductu & auspicio Chri-  
 stiana religio reuiuiscit, nitere, vt te duce, qui bonitate  
 insignis, sapientia præcipuus, prouidentia circumspæctus,  
 præpotens armis, auctoritate grauis, consilio & rerum ex-  
 perientia pollens, Christianæ reipublicæ primus & caput  
 es, sit vna fides, vnum baptisma: denique, vt es vnus pa-  
 stor, sit vnum ouile: vt hac orbis machina sub illius qui  
 pastor bonus est, bacillo, fide & ditione introducta, quam  
 ipse mercedem copiosam in cælis pro fidei nostræ retri-  
 butione sponndit, eam ipsi operibus assequamur. Dixi.

## SESSIO VIII.

**I**N nomine Domini. Amen. Anno a natiuitate Domini  
 millesimo quingentesimo decimotertio, indictione  
 prima, die vero Lunæ decimanona mensis Decembris,  
 celebrata fuit octaua sessio Concilii generalis in sacro-  
 sancta basilica Lateranensi, præsentem & præsentem fan-  
 ctissimo domino nostro Leone papa decimo. Et fuerunt  
 præsentem infra scripti reuerendissimi domini cardinales,  
 patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, generales  
 ordinum, oratores principum & illustrissimi domini, ac  
 in sacra pagina & vtraque censura doctores celeberrimi,  
 videlicet:

Concil. Tom. 34.

R r